NATVRALIS PHILOSOPHIÆ THEOREMATA AD MENTEM DOCTORIS SVBTILIS Propugnanda

SVB AVSPICIIS
Reuerendiss. & Doctiss. D. D.

COELESTINI K H O L B

Monast. Manseensis Abb. Cæsareæ Maiest. Consiliarij, Vniuersitat. Salisburgensis Assistentis.

A MATTHIA FORTVNATO Gschvvendtner Salisburgense

In Collegio Siculo S. Pauli de Arenula Vrbis

Romæ, Typis Pauli Monetæ. 1674.
Superiorum permissu.

ME REV. PATER.

PHilosophicas Theses propugnaturus, Reuerendissime Pater, ad T.R. Paternitatis Patrocinium, quamquam lõgo in-

teruallo

teruallo abſentis cõfugio. Ea enim eſt magnitudo nominis Tui, vt non Germaniæ finibus cohiberi queat. Sed magna terrarum ſpatia metiatur, & in hac Vrbe Patria Orbis terræ cultores inueniat. Et ego ex domo profectus, quæ R. P. T. beneficijs & fauoribus aucta eſt, ad notum mihi gra-

tiarum fõtem recurro; ſimul obſequium & obſeruantiam R. P. T. meritis deferens: ſimul ex eiuſdem nomine & auctoritate Præſidium meis Theſibus reportaturus. Tu humillimo Clienti fauere perge. Et vale quamdiutiſſimè.

Impri-

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Sac. Pal. Apost. Mag. Ordinis Prædicatorum.

NATVRALIS

PHILOSOPHIÆ THEOREMATA

Ad mentem Doctoris Subtilis explanata.

I.

NEGOTIOSVS hominum intellectus ſcire appetẽs, quinque prædicabilia à rebus abſtrahens, ſingularium immenſitatem in pauca capita collegit, vt omnia cuiuſuis ge-

neris prædicata in ſuam vnũquodque claſſem coordinata ſciri poſſent. Ex horum prædicatorum applicatione conſtant omnes ſcientiæ, nempè Methaphyſica, Philoſophia naturalis, & moralis, Mathematica, Logica, & Sacra Theologia.

II.

Philoſophia naturalis octo libris Phyſicorum Ariſtotelis, & ſequentibus vſque ad libros de Anima incluſiuè cõtinetur: cuius adæquatum obiectum materiale ſecundum omnem ſui latitudinem eſt ſubſtantia mobilis, prout etiam ſubſtantias immateriales cõplectitur, ſiue per ſe ſubſiſtentes, ſiue modum ſubſiſtentis habentes. Secundum verò Ariſtotelis acceptionem eſt corpus mobile: vnde in vtraque conſideratione

obiectum formale sub quo est mobilitas.

III.

Hæc Physiologia communi calculo inter scientias recensetur, etiam si fundetur proximè in actibus sẽsuum externorum. Existimãt enim humanas sciẽtias à sensibus incipere, & per hos intellectũ proficere, & subinde alias proximius, alias remotius ad sensationes reduci. Non conducit, nisi per accidẽs ad Dei amorem, quamuis ipsiu inuisibilia per ea, quæ facta sunt conspiciamus: adeoque est speculatiua, non practica.

APPENDIX I.

IV.

P*Hysicam à communi Doctorum auctoritate abstrahen-*

do non esse scientiam probabiliter defendimus.

EXPOSITIO.

OMnes Aristotelici incunctanter Physicam esse scientiam recipiunt, quemadmodum enim consueuerunt, ita iudicant dici debere, nullo alio verè innixi fundamento: re tamen maturè considerata nulla prorsùs demonstratio inuenitur, ob quam scientia nuncupari mereatur.

EX-

EX I. LIBRO.

V.

COmpositi naturalis elementa sunt, quæ neque ex se, neque ex alijs, sed omnia ex ipsis fiunt, quæ definitio in eo sensu est intelligenda, vt vnum principiũ ex alio, in eo genere in quo est principium non fiat. Compositi in fieri, seu non facti tria numerantur principia, primum materia, secundum forma; tertium priuatio. Compositi in facto esse sunt tãtum duo per se, videlicet materia & forma; priuatio recedens, neque est principium per se, neque per accidens. Omnia vniuocè in ratione principij conueniunt.

VI.

Materia prima est corpus à quatuor elementis distinctum, ex quo necessariò omnia fiunt, & in quod omnia resoluuntur. Est ingenerabilis & incorruptibilis. Existentiam non emẽdicat à forma, sed habet propriam. Definitur subiectũ primum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid, cùm insit per se, & non secundum accidens. Quid veniat nomine subiecti, verè & rationabiliter à Doctoribus non assignatur; idcircò rationes, quæ vulgò circumferũtur, vel rationem subiecti non explicant, vel non omni subieeto aptari possunt.

VII.

Est subiectum primum omnium formarum, tum substantialium, tum accidentalium,

ad quas habet potentiam, vt illis vniatur, easque sustentet tum formaliter, tum radicaliter. Ipsam materiam metaphysicè constituit sola potentia vnitiua cum forma substãtiali, quæ sit radicaliter sustentatiua. Potentia illa materiæ, quæ vulgò appetitus simplicis complacentiæ dicitur, est ad omnes formas substantiales indifferens, itaut non magis perfectiorem appetat, quàm minus perfectam. Iuxta diuersum statum formarũ, diuersus appetitus admitti debet, ad formas, nempè absentes desiderij, ad formas præsentes gaudij.

VIII.

Materia, quæ de facto datur, etiam supposita Thomistarum sententia, quod existat per existentiam formæ, potest

existere supernaturaliter sine forma. In nostra autem sententia, quæ nullam in materia à forma dependentiam agnoscit, si Deus nullam formam in ea produci sineret, hæc naturaliter existeret sine forma, ac eodem influxu conseruaretur, quo nunc simul cum forma conseruatur.

IX.

Et si omnes materiæ à principio conditæ eiusdem sint infimæ speciei, possibiles tamen sunt aliæ ab hac, & à se inuicem specie distinctæ, non spirituales tãtum, sed etiam materiales, quæ respicere, ac recipere possent, vel formas alterius ordinis, vel aliquas ex his, quas respicit nostra materia.

X.

Forma, quæ est alterum

principium compositi naturalis est ratio ipsius quod quid erat esse rei; hoc est ratio constitutiua essentiæ cuiuslibet rei per modum determinatiui. Hæc definitio omnibus formis sublunaribus conuenit, non verò formæ in communi: earũ enim essentia nobis est occulta. In omnibus viuentibus dãtur formæ corporcitatis, per quas corpus dissimilare constituitur, quæ diuersæ sunt substantialiter à forma animati compositi. In non viuentibus istæ formæ propter disparem necessitatis rationem non admittuntur.

X I.

Totum essentialiter ex materia, & forma componitur; idcirco nec sola materia, nec sola forma tota ip-

ſius quidditas dicitur, quamuis ſpecialiter eſſentia petatur à forma, quæ propterea, rectè vocatur à Philoſopho ſpecies, ſeu ratio, quod quid erat eſſe rei. Plures formæ ad inuicem non ſubordinatæ, quarum neutra præcedat alteram ad informandum, ac vtraque earumdem ſit operationũ principium in eadem materia ſupernaturaliter eſſe poſſunt, naturaliter non poſſunt.

XII.

Formæ ſubſtantiales non sũt capaces intenſionis, & remiſſionis. Non præexiſtunt in materia, veluti latentes ſiue totaliter, ſiue ſecundum aliquid ſui, quæ poſtea in lucem actione Agentis naturalis extrahãtur. Sed educuntur è potentia materiæ. Educi autem nil

eſt aliud, quàm fieri in materia, itaut oppoſitum, quod videlicet non fiat in materia, ſine miraculo haberi nõ poſſit.

XIII.

Priuationem exiſtere, ac eſſe ens negantium à Scoto, & omnibus eius Aſſeclis firmiter fuit ſuppoſitum: vtique tranſitiuè; an verò intranſitiuè ſit talis deciſum ab Antiquis non inuenitur: ideo placet hic medullitùs rem liberè exponere. Negatio ergo eſt genus diuiſum in priuationem, & puram negationem. Prima dicit reſpectum ad aptitudinem ſubiecti, itaut aptitudo ſit ipſius priuationis connotatum. Eſt ens poſitiuũ non minus, quàm ſit forma negata. De ſecunda verò, quia poteſt eſſe vel neceſſaria, vel cõtingens; cum

distinctione loquendum est, videlicet pura negatio cōtingens consistit in positiuo cum decretis Dei liberis identificato. Negatio necessaria distinguitur in negationem negantem aliquod à statu existentiali, & hæc identificatur cum prædicatis Dei necessarijs negatiuis; & negātem aliquod à statu essentiali, & identificatur cum essentia positiua ipsarum rerum.

XIV.

Ex his quod carentiæ nihil sint, exclusum remanet, & deducitur puras negationes intransitiuè non esse entia abusiua, nec identificari cum ipsarum rerum contingentium possibilitate, siue purificata secūdum phrasem aliquorum, siue vt connotante nolitionē

Diui-

Diuinam, vel propositionem negatiuam veram. E. G. quod carentia Antichristi sit ipsius possibilitas connotans, vel Dei decretum, quo Deus nolit Antichristum, vel hanc propositionem veram Antichristus non existit.

X V.

Ex materia, & forma tanquam principijs fit vnum per se substantiale realiter ab ipsis principijs distinctũ; ad quorũ principiationẽ requiritur tanquam conditio sinè qua non vnio vniens actu principia, quæ nõ est ens absolutum. Sed relatiuum ex duobus conflatum, vno videlicet se tenente ex parte materiæ, alio ex parte formæ. Totum integrale ho-

mogeneum, vel ætherogeneũ, vel per accidens à suis partibus non distinguitur.

XVI.

Totum est subiectum proximum, & adæquatum accidētium, sed quia totum, quod habet, originaliter est ratione partium, consequenter partes erunt rationes recipiendi accidentia, & quidem materia ratio vniuersalis, & indeterminata, forma verò ratio determinata, quare potius hæc, quàm illa recipiantur; quapropter vocantur materia, & forma subiectum remotum, sed secunda determinatum, prima verò indeterminatum

APPENDIX II.

XVII.

Materiam & formam causare totum secundum aliquod, non secundum omnia sustinetur.

EXPOSITIO.

Dato quod materia & forma sint causæ, & aliquod distinctum ab ipsis causare deberent, hoc causatum non debet esse totum secundum omnia, sed tantum secundum aliquod, idest formã totius causarent, quæ simul cũ ipsis partibus totum adæquatè constitueret; adeoque totũ esset cõflatum ex materia, forma, & totalitate distincta, & non mi-

nus ex vna, quàm ex alia. Diſtinguerētur ergo partes à toto tanquam incluſum ab in-includente, & adæquatè ab effectu cauſato, quod videtur intelligibile, & vndequaque dilucidum abſque recurſu ad tot ſpecies diſtinctionum, & identitatum.

EX II. LIBRO.

XVIII.

NAtura eſt principium & cauſa motus, & quietis eius, in quo ineſt primò & per ſe, & non ſecundum accidens, ideſt natura eſt principium, & cauſa, vt moueatur, & quieſcat id, in quo ipſa ineſt primò, & per ſe, & non ſecundum accidens. Hæc definitio conuenit tum principio actiuo, tum paſſiuo, dummodo ſint principia motus oppoſiti violento. Nomine motus, & quietis venit motus, & quies accomodatè ad principia: Non enim vbique eſt principium vtriuſque, ſed vel ſolius motus, vel tum motus, tum quietis. Tam mate-

ria, quàm forma sunt natura, magis autem forma, quàm materia. Totum ab vtroque causatum melius dicitur cum Aristotele à natura, seu naturale, quàm natura.

XIX.

Ars est habitus cum recta ratione factiuus, ideſt habitus facilitās intellectum ad actus directiuos operis. Non operatur immediatè opera consueta fieri per naturam, sed solum mediatè, applicãdo actiua passiuis, quomodo, etiam animalia, & alia portenta per artem fieri posse experientia docet. Aurum per artem non est physicè impossibile, est tamen moraliter. Multis differt ars à natura, & in multis est ipsius æmula, quæ facilè ex

mutua comparatione cognoscentur.

XX.

Suppositum, seu persona non addit supra naturam modum aliquem, aut aliam quãlibet simplicem formam substantialem, vel accidentalem, sed solam negationem actualis communicationis, & aptitudinalis cum alieno supposito. Suam firmitatem hæc sententia desumit ab effectu formali subsistentiæ, qui non est reddere naturam substantem accidentibus, eisque informatam, nec negare aptitudinem ad inhærendum alteri, veluti subiecto, nec incommunicabilitate opposita communicationi, qua communicatur Natura Diuina tribus personis & natura humana Verbo, aut

negare quamcumq. communicabilitatem, itaut posita subsistentia repugnet naturam communicari, vel toti, vel subiecto, vel parti &c. Sed tantum in incommunicabilitate actuali, & aptitudinali cum alieno supposito.

XXI.

In operationes suppositi, quamuis subsistentia non habeat proprium, & immediatum partialem, vel totalem influxum, non tamen se habet merè per accidens, & concomitanter, sed tanquam conditio sine qua non. Ex quo declaratur commune axioma actiones sunt suppositorum; Intelligi enim debet non tanquam à principijs elicitiuis, sed tanquam à principijs denominationis.

APPENDIX III.

XXII.

SVbſiſtentiam nil aliud addere ſupra naturam, niſi actū noſtri intellectus.

EXPOSITIO.

DVo concretorum genera diſtinguntur, vnum accidentale, aliud ſubſtantiale, hoc eſt id, in quo habens formam non diſcriminatur à forma. Euenit autem, quod habens formam habeatur ab alio, & tunc ex concreto fit abſtractum, & cum eo à quo habetur, concretum conſtituit accidētale diuerſum à primo. Differt ergo concretum ab abſtracto penès modum noſtrū

conci-

concipiendi, quia illud idem E. G. quod nunc quatenùs significat habens humanitatem denominatur concretè, quando est habitum ab alio denominatur abstractè; negatio ergo habitudinis, & habitudo requiruntur tanquam fundamentum ad diuersas denominationes. Hinc infertur conclusio, quod subsistens est ipsamet natura, quæ denominatur in concreto, quando non est habita, & in abstracto, quando est habita. Et hæc est germana Durandi sententia, quæ etiam iuxta Scoti principia defendi potest.

XXIII.

Causa in communi est principium tribuens esse limitatũ rei. Inter diuisiones causæ potissima est in efficientem, ma-

terialem, formalem, & finalem. Causa materialis est subiectum alicuius formæ, ex quo fit compositum. Comparari potest vel cum toto, cuius est pars, vel cum forma, cum qua causat totum, & respectu vtriusq. dicitur causa.

XXIV.

Causa formalis est ratio constitutiua cuiuslibet rei per modum determinatiui. Ipsius causalitas, sicuti etiam materiæ non est vnio, sed sunt earum relationes, vt principiantium, & componētium ad totum, vt principiatum, & compositum. Causa materialis se habet ad opera naturæ, sicut æs, & aurum ad opera artis causa verò formalis, sicuti figura. Deus neutrum harum causarum genus supplere potest;

test, quamuis possit impedire effectum causæ formalis in conditione, impediendo, videlicet vnionem formæ cum materia.

XXV,

Causa finalis est id cuius gratia aliquid fit. Hæc definitio aptatur & fini cui, & fini cuius, (dummodo ex vtroque vnus finis coalescat;) ac etiam fini proximo, seu intermedio reduplicatiuè sumpto. Virtus eius in actu primo causatiua est sola bonitas siue vera, siue apparēs, siue præfixa & præstituta, quæ etsi non moueat, nisi, vt cognita, reduplicatio tamen non fit supra virtutem motiuam, sed supra conditionem intētionaliter applicatiuam eiusdem. Causalitas est actio ipsa Agentis, qua poni-

tur aliquod propter finem, ideſt motio facta ex intentione finis: vnde dicitur motio methaphorica, inquantum imputatur fini, & ipſa, & effectus in genere moris.

XXVI.

Effectus finis ſunt omnes actus circa media verſantes, videlicet conſultatio, electio, & imperium efficax mediorum, tum etiam ea omnia, quæ quouis modo adhibentur ad fines. Agens increatum propriè propter finem ad extra operatur. Agentia tum cognoſcitiua, tū non cognſcitiua operātur propter finem, perfectè tamen intentionalia, minus perfectè sēſibilia, imperfectiſſimè nō ſenſitiua.

XXVII.

Cauſa idealis eſt ratio in-

nente Artificis secundum quã aliquod est formabile ad extra iuxtà propriã rationem ipsius. Virtus eius causatiua conuenit coneptui obiectiuo, & aliquo modo cõpetere potest formali. Actualis causalitas identificatur cum actione causæ efficiẽtis, prout hæc agit respiciens ad ideam, vt opus efficiat simile ideæ. Reducitur idea ad genus causæ efficientis, non finalis. Operari ex idea est tantũ illorum Agentium, quæ non purè materialiter, sed formaliter agunt propter finem.

XXVIII.

Causa efficiens est principiũ tribuens esse limitatum rei in ordine executionis primum. Eius actio, qua effectum producit cum aliqua antecedenti indifferentia est relatio distin

cta fundata in actione absoluta, quæ etsi formaliter sumpta à passione distinguitur, fundamentaliter accepta cum passione fundamentali identificatur. Subiectatur in agente. Duplex est eductiua, & creatiua. Hæc secũda definitur productio rei ex nihilo subiecti. Denegatur creaturæ ex consensu Doctorum, & Patrum. Eductiua distinguitur in primam productionem, conseruationem, & reproductionem. Hæc ex se nõ est naturaliter impossibilis, sed ex mero Dei beneplacito. Si eadem erit causa primò producens, & conseruans, eadem erit prima productio, & conseruatio.

XXIX.

Deus non solum concurrit ad actum secundum causæ ef-

ficientis creatæ tanquam cau ſa, ità quod actus non minus dicatur effectus Dei, quàm proprius creaturæ; ſed etiam mouet ipſam cauſam ſecundã ad agendum, quod neceſſariò aſſeri debet, vt ſaluetur ratio primi motoris, & perfecta depẽdẽtia creaturæ à Deo. Hoc autem ſufficiẽter habetur per hoc, quod Deus per ſuum decretum in eodem prorsùs ſigno determinet creaturam ad agendum, in quo creatura ſe determinat: vnde dicitur mo uere per concurſum non ſpectantem ad actum primum, ſeu antecedentem, ſed ad actũ ſecundum, ſeu concomitantẽ. Excluditur igitur quicunque alius modus mouendi, vel antecedens, vt nonnulli etiam ex noſtris Scotiſtis volũt, vel me

dia physica qualitate præuia, vel tantum influendo in effectum. Ad indiuiduationem effectus concurrit omnimodè Deus illam determinando.

APPENDIX IV.

XXX

DEum iuxtà Scripturæ loca & Patrum testimonia concurrere tantum mediatè ad omnes actus. Et posse bonos immediatè causare tum se solo tum cum creatura, actus verò malos nullo modo.

EXPOSITIO.

SVpradicta conclusio non ponitur ex falso illo principio Durandi, quod causa nobilior non possit cúm causa

ignobiliori concurrere, sed so
lùm, vt Deo negetur causalita
in actum peccaminosum, & v
illæsa remaneat potentiæ crea
tæ libertas. Componitur cum
hoc mediato concursu poten
tia immediatè influendi siue
se solo, siue cum creatura a
omnes actus bonos, non autem
ad actus malos; nam illa ratio
quæ conuincit non concurre
re cum creatura immediatè
conuincit non posse, nec ex s
solo, nec simul cum illa. Hui
sententiæ fauent Scripturæ lo
ca & Patrum testimonia non
minus, quàm sententiæ com
muni.

XXXI.

Celebris est causæ efficienti
diuisio in principalem, & in
strumentalem. Hæc consisti
in eo, quod causæ principal

inferuiat pro assequendo fine, non quidem attingẽdo terminum principalis agentis, sed tantum disponẽdo materiam, vel modificando actionem. Causa principalis consistit in eo, quod assequatur effectum propria virtute: E. G. respectu ignis producti, id dicendũ est causa principalis, quod propria virtute ignem attingit; id quod tãtum disponit ad illum, vel modificat, erit causa instrumentalis.

XXXII.

Retinet rationem causæ principalis causa creata quoad aliquos effectus supernaturales, ad quos habet potentiam obedientialem, per quam est Deo subiecta, à quo est eleuabilis concursu speciali. Potentia obedientialis non est aliquod

entitati subiectæ adueniens; per quod eleuatur ad superna turaliter operandum, sed quædam potentia actiua, & partialis ad agendum supra vires, quæ potest actiuè compleri in creatura ab ente increato.

XXXIII.

Causa efficiens physica, vt operetur, physica indiget existentia; Moralis intentionali contenta est. Debet esse prior natura effectu vel à quo, vel in quo. Prioritas naturæ in quo est independentia causæ ab effectu, per quam si existerent ordine successionis, deberet prius existere causa, & postea effectus; placet enim explicare prioritatem vel naturæ in quo, vel originis in ordine ad prioritatem per se notã, nempè temporis. Agens po-

test naturaliter agere in distās non agendo in medium actione eiusdem rationis, vel diuersæ, à qua necessariò, & semper actio in distans dependere debeat. Eleuatum, etiam nulla actione media, agere potest.

XXXIV.

Omnes effectus essentialiter cum suis causis connectuntur; causæ verò tātùm creatæ cum suis effectibus. Talis connexio fundatur in possibilitate, non in existentia. Cuicumque effectui vna causa totalis & adæquata correspondet, quæ ex pluribus causis partialibus cōponi potest: Nec enim supernaturaliter possunt duæ causæ adæquatæ, & totales physicè influere in eumdem effectum.

XXXV.

Non omnia, quæ requiruntur ad hoc, vt causa sit proximè potens operari, sunt concausæ effectus. Aliud est vnum requiri ex parte actus primi, aliud requiri ad actum primum: sic in sententia ponente in anima potentias distinctas, potentia auditiua requiritur ad actum primum vidēdi, non autem se tenet ex parte actus primi, quia etsi per illam non reddatur anima potens videre, requiritur tamen ad hoc, vt existat ipsa anima & potentia visiua.

XXXVI.

Carentia effectus non est prior natura effectu, tum etiā nec remotio impedimēti amouibilis per actum secundum, vel inamouibilis per actum

ſecundum reſpectu cauſæ neceſſariæ, ſed tantum remotio impedimēti inamouibilis per actum ſecundum in cauſa libera eſt prior natura effectu. Nulla cauſa phyſica poteſt eſſe prior natura ſeipſa: hinc dicendum eſt idem, nec per primam, nec per ſecundam productionem poſſe producere ſe ipſum, nec eſſe recipere ab eo, cui tribuit eſſe in eodem genere cauſæ realis, & phyſicæ.

XXXVII.

Cauſis per ſe affinis eſt cauſa per accidens, quæ multipliciter ex parte effectus dicitur. Amplectitur fortunam & caſum. Fortuna eſt cauſa per accidens effectuum rarò contingentium in Agētibus propter finem cum electione. Caſus eſt cauſa per accidens in agen-

tibus non propter finem cum electione. Fortunæ opponitur fatum, à quo omnia fieri cõceditur si fatũ ad mentem Boetij describatur, videlicet in rebus natura sua mobilibus dispositio immobilis, per quam Diuina prouidẽtia suis quæque nectit ordinibus. Inter effectus per accidẽs numerari possunt monstra, quæ sunt veluti peccata naturæ. Definiuntur effectus naturales à certa & solita secundum speciem dispositione degenerantes.

APPENDIX V.

XXXVIII.

Causam materialem & formalem rationem causæ non participare.

EXPOSITIO.

Materia & forma, quia ſunt partes componẽtes, à numero cauſarum excluduntur potius, quàm in eo includuntur, vt Duhamel accuratè obſeruat; aliter partes circuli & coſtæ quadrati cauſæ dici deberent, quod negant Scotiſtæ. Ex hoc fundamento deducitur totum, nec ſecundum formam, nec vt totum eſt diſtingui à partibus ſimul ſumptis contra dicta in 16. Concluſione, & quarta Appendice.

EX RELIQVIS
SEX LIBRIS PHYSICORVM.

XXXIX.

PRima omnium corporis naturalis proprietas est motus, per quē ipsum partim est in actu, partim in potentia; quapropter rectè ab Aristotele definitur, motus est actus eius, quod est in potestate, quatenus tale, siue actus in potentia, prout in potentia. Hæc definitio extenditur etiam ad motum instantaneum. Identificatur motus cum actione eductiua, quæ est id per quod subiectum ponitur in via, & tendentia formali ad habendam, & possidēdam formam.

XL.

Inter omnes motus notissimus est motus ad locum, qui à Philosopho 2. Physic. definitur superficies prima corporis continentis primò, & immobiliter. Ad locum sufficit absolutè continentia potẽtialis, videlicet capacitas ad continendum. Non est spatium inter latera continentis inclusum, & à locato occupatum; nec situs, quem singula corpora in vniuerso habẽt, designatum per comparationem ad pũcta fixa Vniuersi, vt poli & centrum mundi. Locata indifferentia, vt in hoc, vel illo spatio locentur, ponuntur in loco per quendam modum specialem præsentiæ localis, qui dicitur vbi.

repleta, sed maiori ex parte vacua, ac apta occupari, & repleri ab alijs mundis, est negatio realis corporum cum non repugnantia ex parte eorum, vt ibi sint, nullo considerante intellectu.

XLIII.

Loco opponitur vacuum, quod est superficies corporis carens corpore, seu nullo corpore repleta. Nequit dari neque paruum, neque magnum in natura per vim agentis naturalis, sed agenti supernaturali non repugnat. Moueri possent naturaliter in vacuo animalia, & proiecta per virtutem impressam, dummodò non sequeretur inde noua corporum disiunctio: hinc Angelus posset proijcere lapidem in vacuo, & hunc moueri,

minimè verò homo.

XLIV.

Tempus est numerus motus secundùm prius, & posterius; ideſt numerus motus numeratus, non numerans. Eſt menſura ab extrinſeco omnium durantium, ex placito videlicet hominum volentium cum tali menſura ſucceſſiua omnia alia entia menſurare. Rem abſolutè durare dicit rem formaliter exiſtere; adeoque ſi omnes motus quieſcerēt, adhuc res exiſtens duraret; prout tamen à nobis explicatur connotat reſpectum exiſtētiæ alicui durationi extrinſecæ. Triplex eſt duratio, increata, creata temporalis, & perpetua, ſeu æuum. Quarum conſequēter ad dicta de duratione in communi, prima di-

cit exiſtētiam Diuinam neceſſariam. Aeuum exiſtentiam contingētem eſſentialiter, naturaliter neceſſariam. Tempus neceſſariam omnino contingentem.

XLV.

Quantum dicitur, quod in ea, quæ inſunt eſt diuiſibile, quorum vtrumque, aut ſingulum vnumquid, aut quodquid aptum eſt eſſe. Quantitas eſt accidens ſuperadditū rei quātæ, cuius effectus formalis nō eſt eſſe menſuram, vel reddere partes entitatiuas ſubſtantiæ extra ſe, videlicet partes in toto diſpoſitas, vel extendere ſubſtātiam in loco, ſed eſt reddere partes incompoſſibiles in eodem loco, hoc eſt exigere extenſionem partium in ordine ad locum, taliter quod op-

positum, sine miraculo contingere nequeat.

XLVI.

Quantitas ante omnem diuisionem, aut designationem habet partes actu distinctas, non minus, quàm Petrus sit distinctus à Paulo. Quoad eius compositionem nihil certi determinari potest, siue enim dicatur cum Zenone componi ex finitis indiuisibilibus, siue cum Aristotele ex partibus diuisibilibus in infinitū, vel cōponendo puncta terminatiua, vel non, maxima absurda deuorare necesse erit.

VLVII.

Infinitum non est id, cuius nihil est extra, quam definitionē Philosophus impugnat 3. Physicorum, sed est id, cuius secundum quantitatem ac-

cipien-

cipientibus semper est aliquid extra accipere. Quæ definitio proportionaliter conuenit tū infinito cathegorematico, tum syncathegorematico. Hæc duo infinita differunt penes potẽtialitatem aliquarum partiũ, & actualitatem omnium; idcirco si syncathegorematicum poneretur, secundum omnes partes actu, conuerteretur in cathegorematicum, vt obseruat Scotus. Ex infinito, si daretur, posset detrahi quicumq. numerus finitus manente illo semper infinito. Non posset mensurari siue mensura finita, siue infinita. Non posset esse maius & minus, nec pertrãsiri.

XLVIII.

Quoad infiniti syncathegorematici possibilitatem, vel actualem existentiam Scotistæ

unt liberi, vt notat Cauellus, & Mastrius. Scotus non satis se explicat, & alicubi dubitatiuè loquitur. Nos autem putamus illud in nullo genere esse possibile; adeoque potiori iure etiam cathegorematicum repugnare.

XLIX.

Mundus rectè definitur ab Auctore libelli de Mundo ad Alexandrum, compages è cælo & terra coagmentata, & ex iilis naturis, quæ intra ea continentur. Non existit ab æterno, vt putauit Aristoteles. De possibili, sicuti potest in æternum durare, ita quoad creaturas tantum permanentes non videtur negandum, quod potuerit produci ab æterno. De successiuis alia est ratio. *Vnus* est Mundus vnitate aggrega-

gationis, & contiguitatis, habetque omnes perfectiones essentiales, integrales, & accidētales, quæ requiruntur à fine supremi conditoris.

L.

Moles terraquea non est mathematicè, sed ad summum physicè rotunda. Sistema mūdi Copernicanum, in quo ponitur Sol pro centro immobiliter, circa quem terra, & planetæ circumuoluantur, non est admittendum. Illi præferendum est Ptolemaicum, in quo omnium Planetarum orbes concentrici sint, habentes pro centro terram, & supra se firmamentum cum stellis fixis.

LI.

Cœlum constat ex materia & forma, ex illa quidem eiusdem rationis cum sublunari

Ex quo sequitur Cœlos esse simpliciter & ab intrinseco corruptibiles. Cœlum stellarum fixarum est solidum, Planetarum verò fluidum, quod recentiora Phænomena persuadent. Motus Cœlorum est ab intelligentijs. Non mouentur duplici motu contrario. Influunt in inferiora influxu stellarum, præsertim errantium, iuxta dispositionem Diuinæ prouidentiæ.

EX LIBRIS

DE ORTV, ET INTERITV.

L I I.

DAri veram, ac substãtialem generationem, & corruptionem indubitatum censetur contra Empedoclem & Anaxagoram existimantes omnes res actù præcedere, solumque variari per motum, hoc est per congregationem, vel separationem, raritatem, vel densitatem. Generatio autem actiuè sumpta, seu actio generatiua, prout à creatione distinguitur, est peculiaris quædam species motus, seu mutationis in communi

APPENDIX VI.

GEnerationis, ac corruptionis existentia non demonstratur, quamuis magni Philosophi illam admittant.

EXPOSITIO. LIII.

LIcèt per doctrinam generationis, ac corruptionis saluentur commodiùs aliqua mysteria fidei, nulla tamē naturali ratione demōstratur. Neque enim ex eo quod aliquod naturale compositum de nouo consurgat, nouiter secundum substantiam genitum per necessariam consecutionē inferri potest. Secùs ex eo, quod domum nouam videmus, deducere possemus eam

substantialiter fuisse de nouo productam, & non accidentaliter, secundum ordinem nempè & dispositionem.

LIV.

Generatio secundum Scotũ, bifariàm sumitur, nempè vt productio, & vt mutatio. Primo modo definitur actio productiua termini, seu compositi substantialis depẽdenter à subiecto. Secunda dicitur mutatio à substantia in potentia ad substantiam in actu. Eandem sortitur diuisionem corruptio generationi opposita, quæ sub ratione mutationis est transitus materiæ ad esse formæ, ad non esse formæ in ipsa materia. Sub ratione actionis destructiuæ est destructio compositi substãtialis remanente materia.

LV.

Subiectum generationis in ratione mutationis est materia, vel quod gerit vicẽ materiæ. Terminus est sola forma substantialis. Destructio non viuentium fit per resolutionẽ vsque ad materiam primã. In viuẽtibus remanet materia cũ formis partialibus. Expulsio formæ antiquæ, & introductio formæ nouæ ita se habent, vt introductio expulsionem naturà præcedat, etiamsi sensui oppositum videatur.

LVI.

Generatio substãtialis, sicuti & corruptio est successiua, non instantanea: hoc autẽ nõ prouenit ex intrinseca ipsius formæ natura, sed tantum ex adnexis dispositionibus quæ succesiuè introducuntur, & ex-

pelluntur. Causa generationis non sunt accidentia, sed sola substantia, cui immediata virtus inest ad aliam substantiam producendam.

LVII.

Generatio viuentis describitur *productio naturalis viuẽtis à viuente similis producenti in natura*. Si pressè sumatur, pro ea, quæ fundat denominationẽ Patris, & filij, debet addi alia particula, videlicet *intellectuali*, & si eam ad Bruta extẽdere libeat, addatur, vel *sensitiua*, ita vt descriptio faciat hunc sensum, est productio naturalis viuẽtis à viuente similis producenti in natura intellectuali, vel sensitiua.

LVIII.

Actiuè concurrunt Parentes ad organizationem corpo-

ris, nullo pacto ad vnionem animæ cũ corpore, quæ vt relatio extrinsecùs adueniẽs, diuersam causam petit à causa extremorũ. Causa generationis nascentium ex putri non sunt accidentia, quæ sunt purè instrumenta substantiæ inualida ad attingendum terminum causæ principalis: nec itẽ Cœli, vel peculiaris aliqua intelligentia, sed Deus, vt specialiter causans ad exigentiã dispositionum materiæ putridæ.

APPENDIX VII.

LIX.

VNionem causari ab eodem Agente, à quo causantur partes, quamuis sit relatio extrinsecùs aduenìens.

EXPOSITIO.

EX suo conceptu relatio extrinsecùs adueniens nõ

dicit diuersam causam postulare à causa extremorum,itaut ab illa causa causari non debeat, à qua extrema causata fuerunt: sic enim neque Deus, qui animam rationalem producit, posset vnionem generare. Sufficit ad rationem huiusmodi relationis,non insurgere ex natura extremorum, sed extremis ab intrinseco cõtingere, quod vtique saluaretur, etiamsi idem agens eam poneret, quod in corpus pro altera parte operatur.

L X.

Ad generationem substantialē ordinatur Alteratio, tanquam medium ad finem, & est mutatio in passionibus, seu qualitatibus cõtrarijs, aut medijs manente eodem subiecto sensibili. Si implicaret genera-

tio, vtrũq. substineri posset, vel quod adhuc inuariabiliter alteratio perseueraret, vel quod repugnaret. Fit Alteratio per productionem qualitatũ, quæ sunt inter se, & à corporibus substantialibus distinctæ. Et si sint contrariæ, possunt compati naturaliter in gradu remisso, ac supernaturaliter in intenso, in eodem subiecto.

LXI.

Quatuor sunt primæ qualitates, videlicet calor, frigus, siccitas, & humiditas: quarum definitio ab Aristotele tradita explicat illarum naturã per passiones, & effectus. Crescit in ipso actiuitas ad diminutionẽ resistentiæ, & resistentia ad diminutionem actiuitatis; idcirco, quia calor magis est actiuus, minus erit resistiriuus, &

ſic proportionaliter de alijs diſcurratur.

APPENDIX VIII.

LXII.

PRimas qualitates exiſtere, à corporibus diſtinctas ex nullo motiuo deduci poteſt.

EXPOSITIO.

RAtio potiſſima pro exiſtentia primarum qualitatũ eſt, quia experimur poſitiuam corporum contrarietatem, ſed hanc experiẽtiam nõ vidit Cardanus lib. 2. de ſubtilitate, nec nouiſſimè Arriaga, quorũ primus aſſeruit frigus & ſiccitatem eſſe defectus & priuationes dumtaxat. Secundus humiditatem & ſiccitatẽ omnino à natura ablegauit. Sed data experientiæ veritate, ex illa non colligitur primas qualitates à corporibus

distinctas existere, sed quod ipsa corpora habeant inter se contrarietatem, & vnum sit in pugna cum alio per esse proprium ipsorum.

LXIII.

Agunt agentia contraria in seipsa qualitate perfectiua æquiuoca, non in simile eiusdē qualitatis & gradus. Semper actio contrariorum procedit à proportione maioris inæqualitatis, quia videlicet maior est actiuitas agentis, quam resistentia passi. Reagunt & repatiuntur inter se contraria nedum in diuersa, sed etiam in eadem parte subiecti. Intensio qualitatis alteratiuæ fit per additionē gradus ad gradus. Qui gradus sunt homogenei homogeneitate tum ordinis, tum perfectionis.

LXIV.

Agens immediatè agit vniformiter difformiter in tota spæra actiuiatis, cuius actio; si præuenitur à medio, stâ hæc, quàm illa se habebunt, vt partiales, si non præuenitur, vt totales. Ex primis qualitatibus duæ singulis elementis insũnt, quæ inter se non repugnant. Altera illarũ est in sũmo gradu, altera infra summum. Sũmus est in igne calor, summa in terra siccitas: sũma in aere humiditas, summum in terra frigus.

LXV.

Elementum est illud corporum in quod cætera corpora resoluuntur. Non constituitur in esse substantiali elementari per primas qualitates, sed sua propria substantiali forma.

Quatuor sunt elementa, ignis, terra, aqua, aer. Inter omnia nobilitate ignis excellit: deinde aer, tertia est aqua, postrema terra. Sunt imparia penès magnitudinem & extēsionem, densitatem & raritatem; paria in virtutibus actiuis & passiuis. Eorū figura est rotunda.

LXVI.

Tam symbola, quàm dissymbola elementa immediatè ad inuicem conuertuntur, sed celeriùs symbola, quàm dissymbola. Habent in proprijs locis grauitatem quidem ac leuitatem habitualem, non verò actualem.

LXVII.

Mixtio est miscibilium alteratorum vnio. Eius causa est agens vniuersale. Formæ substantiales elementornm nō re-

maneñt in mixto; nec in esse remisso & refracto, nec in esse perfecto, sed tãtum extat vna forma substantialis, per quam mixtum cõstituitur in sua specie, & ab omni alio differt. Nõ solum est possibile, sed probabile dari actu temperamẽtum ad pondus.

LXVIII.

Rarũ est, quod sub magnis dimensionibus parũ habet materiæ. Densum, quod sub paruis multum. Rarefactio nõ fit per ingressum corporum subtiliũ in crassitiẽ corporis rarefactibilis, nec condẽsatio per egressum eorumdem; neque fit per destructionẽ totius præcedentis quantitatis, & nouam subsequentis productionem, sed per maiorem eiusdem materiæ localem extensionem; itaut par-

tes locati aliquid acquirāt, aut perdant pertinens ad prædicamentum ſitus.

EX LIBRIS METHEORORVM.

LXIX.

VApor & exhalatio sũt materia, ex qua fiunt Metheora, nõ in ſphæra ignis, ſed aliorum elementorum. Tonitruum eſt ſonus æditus ex violẽta percuſſione exhalationis calidæ, & ſiccę incluſæ inter latera nubis frigidæ & humidæ. Fulgur eſt exhalatio non ignea, quamuis videatur accenſa, igneo colore tincta, ex nube violenter egrediens. Fulmen eſt ingens exhalatio ſubtilis ignita violenter ex nube frigida excuſſa deorſum.

LXX.

Iris est nubes rorida, à radijs solaribus percussa. Colores; qui videntur in iride non sūt veri, sed apparentes. Vapor in media aeris regione condensatus à frigore, efficitur nubes. Nubes autem in aquam soluta efficitur pluuia. Si post pluuiā aliquod nubilosum supersit, quod fertur super terram, nubecula appellatur, & est signū serenitatis.

LXXI.

Terremotus est cōcussio terræ, proueniēs ab exhalatione in sinu eius inclusa, quæ petit exitum; & non inueniens, quatit terram: vnde efficitur pulsus, aut tremor, quæ sunt eius species. Ventus non est aer cōmotus, neque impetus, vel fluxus ipsiusmet aeris; dicunt es-

e multitudinem exhalationis siccæ, & calidæ, quæ à terra excitatur, & circa ipsam terrã voluitur; sed res est incerta, & iudicatu difficilis. A quo autẽ venti oriãtur, ille scit, de quo asserit Psalmista: *Qui producit ventos de thesauris suis.* In quẽ locum verè Augustinus: *Quia enim flat ventus, sentis: Qua causa flat: vel de qua ratione eductus sit, nescis.*

LAVS DEO.

Disputabuntur publicè in Collegio Siculo S. Pauli de Arenula Vrbis, Tertij Ord. S. Francisci à PP. eiusdem Ordinis Anno 1674. Mense

Die Hora